



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Annotationes Ioannis Bugenhagij Pomerani in decem epistolas Pauli

Bugenhagen, Johannes

Basileae, 1524

VD16 B 9232

Pavlvs.

urn:nbn:de:hbz:466:1-36165

IN EPISTO

LAM AD PHILEMONEM,

Ioannis Bugenhagij Pomerani
Annotationes.

ARGVMENTVM.



HGregium hic in Paulo uides charitatis exemplum, qui tanto studio commendat seruū fugitiuū, ut Onesimus ipse factus uideatur. Nec tamen cum posset, autoritate urget Philemonem: sed precibus & Christianis persuasionibus cedens iure suo, ut & ipse Philemon cogatur non sua, sed quæ charitatis sunt intueri. Sic enim oportet nos exinuari pro fratribus, sicut Christus exinaniuit se pro nobis, &c. ad Philippenses. 2.

PAVLVS.

Vides quàm multa argumenta pro fratre inuenit uera charitas, quæ credo Paulum pro seipso in simili causa non fuisse scripturū. Sunt qui hic Pauli modestiam & humilitatem commendant, & uerè: sed quo fonte hæc fluant, nobis in primis uidendum est. Fides namq; quæ uiuebat in pectore, non potuit talia non producere in externo opere, ut scias fidem ueram sine

operibus bonis non esse. Opera autem bona uocat scriptura officia charitatis proximo exhibita, quæ fluunt ex uno opere, quod est omnium operum summum, nempe opus dei, quæ est fides in Christum, Ioannis 6.

Vinctus esse.

Hic non iam titulos sui apostolatus, ut solet, scribit. Non enim iam officium facit apostoli, ut persuadeat suam à deo esse prædicationem: sed suæ autoritatis hic oblitus, fratrem se esse tantum meminit: quasi diceret, non apostoli siue doctoris, sed Christiani hominis ago nunc officium. Et primum ad rem facit quàm maxime, quod se uinctum dicit: ut non despiciatur eius obsecratio, qui pro euangelio detinetur in uinculis, sicut infra dicit: Nunc autem etiam uinctus Iesu Christi. Item ut non despiciatur dum orat pro eo, quem genuit Christo in uinculis. Item pro eo qui seruiuit ipsi in uinculis, id quod ipse Philemon fecisset, si adfuisset, tantum abest, ut indignari debeat, hoc seruum fecisse, imò gaudere debet per seruum suum hoc beneficium Paulo accessisse, quemadmodum hæc omnia infra dicuntur. Item ut Christianus Philemon non addat afflictio Paulo afflictionem, si non exaudiat, & despiciat tanto studio obsecrantem, non iam pro seruo, sed pro fratre, id quod infra dicit: Refocilla uiscera mea in domino. Deinde & Timotheum addit, ne solus hoc precari uideatur, & ut magis duorum ualeat obsecratio.

ANNOT. IOANNIS POMERANI

Præterea Philemonem adiutorē suum facit in hac inscriptione, & consortem, ne nō uelit quod ipse Paulus uult. Quid enim diuersis animis inter ipsos conueniret, quod sic infra dicit: Si igitur me habes consortem, suscipe illum tanquam me. Ad hæc, non solum inscribit epistolam Philemoni, sed & Aphie, ut puto uxori, & Archippo episcopo, & toti ecclesie, quæ in domo est Philemonis: ut si quid minus apud unū ualebit precatio, ualitura sit uel multis forte comprecaturis. Quid enim Christianus negare poterit Christianis Christiane rogantibus, & id rogantibus, quod ipse etiam nō rogatus debet secundum euangelium?

Vinctus Iesu Christi.

proprium Quamquam consilio diaboli à Nerone esset uinctus Paulus, & peteretur ad mortē, tamē hanc gloriā dat deo, ut nihil potentie adscribat uel diabolo, uel mundo. Non enim se scribit uinctum Cæsaris, sed uinctum Iesu Christi. Ob cuius euangelium captus fuerat, sine cuius uoluntate uincire non potuisset, &c.

*Sancti sci-
unt omnia
esse in ma-
nu dei.*

Charitatē ac fidem.

Sancti Redde singula singulis: fidē erga dominum Iesum, charitatem erga omnes sanctos, id est credentes. Sic enim sancti in scriptura appellātur credētes, qui nobiscum uersantur in terris, qui indigent mutua ope, &c.

Vt communicatio fidei tuæ.

Id est,

Id est, ut communis fides tua, id est quam tu & nos habemus, fiat efficax in agnitione omnis boni, quod est in uobis erga Christum Iesum: id est, eò crescat & prouehatur, ut agnoscatis omne bonum, quod uobis per Christum contigit. Eandem enim sententiam puto, quã sepe scribit Paulus, sicut Ephe. 1. Vt, inquit, deus domini nostri Iesu Christi pater gloriæ det uobis spiritum sapientiæ. Vide illic & alibi, ut sciatis quæ per Christum donata sint uobis.

Gaudium enim habemus.

Sic quod præcessit coniungendum est, Gratias ago, &c. quare? ut cõmunicatio, &c. Rursus gratias ago, quia gaudium habemus multum, &c. Christiana charitas iugiter orat pro illuminatione aliorum, & de profectu gaudet.

Quod uiscera, &c.

Id est, quod magnæ consolationi fuisti sanctis egentibus, ipsis necessaria præstando.

Quapropter.

(Hactenus præmolliuit nõ adulatione, sed Christiana ueritate: nunc rem ipsam aggreditur) Id est, quia ita bene facis ex fide omnibus sanctis, non posset fieri, ut sperneres meum mandatum, si mandarem id quod te debere agnoscis. Non mando autem, sed propter charitatem potius rogo, nolens uti mea autoritate.

ANNOT. IOANNIS POMERANI.

à *authoritate* *authoritate*, inquam, quod sum Paulus senex, & præ-
terea uinctus Iesu Christi: quasi diceret, uel ipsa sub-
missio mea te moueat, ut tuo quoq; iure cedas.

Rogo autem pro filio meo.

Non dicit, pro seruo meo, ut etiam non tam seruum
quàm ipsum Paulum uideatur recipere Philemon.
Quod filio sit, pater sibi factum iudicat. Quæ, inquit,
genui in uinculis, ut scias mihi eum hoc chariorem,
quod in angustia & periculo eum genuerim. Sicut
mulieres plus diligunt filios, quos maiori dolore &
periculo enixa sunt.

Quondam.

Argumenta ab utili. Antea fuit infidelis tibi, negli-
gens operæ, forte & aliquid furatus: nunc autem si-
des talia non permittet, &c. Addit uero, ut rem au-
geat, tibi & mihi perutili: & alludit ad nomen serui.

ὄνιδι μ. **Onesimus enim utilis** Græcis dicitur. Quasi diceret,
hactenus non recte Onesimus dictus est, &c.

Mea uiscera.

Supra, meum filiū dixit, ut uel hinc uideas hoc uel-
le Paulum se in Onesimo suscipi.

Quem ego, &c.

Ego, inquit, plus tua commoda, remittendo seruum
respicio, quàm mea, imò non mea.

Ne uelut ex necessitate.

Quod hinc liberum arbitrium adserunt, stultū est, quasi ad hoc necesse fuerit mittere Onesimum, ut Philemon haberet remittendi liberum arbitrium. Sententia est potius, quod bona opera oportet uenire ex libero animo. Libero dico, per spiritum fidei, sine quo spiritu quicquid facis, peccatum est. Cor requirit deus, non opus. Quicquid non est ex fide, peccatum est.

*Amicus
liber +
spiritus*

Nam propterea, &c.

Vtilem quoque fuisse serui fugam probat. Nam fugę occasione audiuit Euangelium Rhomę, & credidit: ita electis omnia cooperantur in bonum, etiam mala. Deo sic mirabiliter operante, & ita ut ab humana ratione nequaquam intelligi possit, aut ab humano iudicio, quō deus ducat.

Si quid læsit.

Id est, aliquid damni tibi intulit, siue furatus est. Oīa occupat Paulus ne Philemon neget quod petiturus est.

Ego dependam.

Dependam, id est pro ipso tibi reddam quod debet, atque in hoc habes hic meum chirographum. Ut ne dicam, Nō multum est, si debitum serui, quod modō mihi adscribo, & meum facio, mihi donaueris, ut non cogar tibi soluere, siue reddere, qui nō solum alioqui mihi hoc debes, sed te ipsum quantus quantus es. Hic innuit Paulus, non solum quod Christianus Christiano debet totum quod ipse est: sed etiam quod Philemon

ANNOT. IOANNIS POMERANI
eius prædicatione conuersus fuerat, &c.

Etiã frater.

Etiã, affirmantis : quasi diceret, certe. Matth. 11.
Etiã pater, &c.

Ego te fruar in domino.

Fac ut de te gaudeam per dominum, id est, ut Christo gaudeam gaudio. id est quod sequitur, refocilla &c. id est, esto mihi consolationi. Per dominum siue in domino addit, ut significet se nihil aliud petere, quàm quod per dominum non solum liceret, sed etiam fieri debet, &c. Refocilla, id est esto mihi cõsolationi, &c.

Consistis.

Quis queso oratorum in hac causa magis efficacibus uti potuisset persuasionibus & argumentis?

Simul autem.

Hactenus pro Onesimo, & nunc quedam familiaris scribit, &c.

F I N I S.